



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Aprilem, Majum, Junium

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 9. De peccato veniali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)

DIES IX.

De Peccato Veniali.

I.

PLUS ignominiae Deo inferimus per unicam, quantumvis levem noxam, quam honoris ei adhibere possemus omnibus, iisque sanctissimis, & summe heroicis actibus. Majestas Dei, & distantia infinita, quae ipsum inter, & nos intercedit, valde imminuit magnitudinem boni, quod ipsius amore praestamus, & infinite auget magnitudinem mali, quod contra ipsum perpetramus. Si ei serviamus, facimus, quod debemus, & semper longe minus, quam debeamus, atque infinites minus, quam ipse mereatur. Et si fecissemus omnia, fatendum nobis esset, nos servos inutiles esse. Verum, cum eum offendimus, obligationes infinitas missas facimus, quibus ei servire, & placere obstricti sumus, quo facto aliqua ratione infinite ingratos nos demonstramus. Luc. 17. 10

II. Rex aliquis plus offenditur convictio, quod subditorum aliquis ei facit, quam omnibus clientelaribus honoretur officiis, quae ab eodem praestantur. Ob unicum

P

pecca

Junius.

peccatum leve Deo magis displicemus, quàm ipsi placere possimus ob omnia officia, & obsequia, quæ ipsi exhibere possumus. Si maxima quæque agerem, si difficillima quæque in me susceperem, si asperrima quæque pro Deo tolerarem, si eius gloriam majori cum emolumento promoverem, quàm omnes Apostoli promoverint, minùs ipsum honorarem, quàm ignominia per unicum peccatum leve eidem afferam: idcirco licitum non est, vel unicum parvum delictum admittere, ad comparandam maximam Deo gloriam, licet de Conversione ad veram fidem totius vniverſi ageretur.

III. Cùm faciebas, vel omittebas bonum aliquod ex hominum respectu, vel cum vana mentis oblectatione eidem immorabaris, cùm mendacium aliquod proferebas, cùm levem obrectationem tibi permittebas, cùm modicum hoc corporis oblectamentum, hanc in æde sacra irreverentiam, voluntariam hanc in precibus evagationem mentis tibi indulgebas; credidisti, persuasisti tibi, te plus irreverentiæ Deo exhibere, quàm omnes Sancti honorare eum possent per sui subjectiones, adorationes, & actus etiam generosissimos? quantopere ista cogitatio reprimere

re debet vanas oblectationes, quæ in animo iunius
nostro exurgunt ob bonum, quod facimus,
nostramque confusionem, & dolorem de
omnibus peccatis venialibus, quæ com-
mittimus, augere. Si ita res habet, quan-
tiscunque virtutibus homo præditus esse
videatur, quantacunque pro Deo agat,
si vel unicum peccatum veniale admisisset,
possétne de illis, nisi cæcus, & injustus ha-
beri veller, vanè sibi adulari?

*Assuesce omnia bona, quæ facis, spectare, ut
rem modicam; & omnia mala, quæ agis, etsi le-
via esse videantur, quasi semper maxima forent;
idcirco, quòd tantum Deum offendant.*

Cùm feceritis omnia, quæ præcepta
sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus.

Luc. 17. 10.

Nunquam excusatur, quod Deus da-
mnat. *Tertull.*

DIES X.

De Duritia Cordis.

I.

DEus, & Homo conferunt operam suam
ad cordis duritiem. Homo ejus ini-
tium facit, Deus finem imponit: homo
peccatum committendo, Deus puniendo;

P 2

ho-